



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione Methildis magistra in Fusnich, cap. 42.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Eron. 31

APOLLONIVS: De hac puella videtur intelligendum illud Salomonis: Mulierem fortem quis inueniet?  
 CÆSARIVS: Tanta est fortitudo mentis in quibusdam feminis, vt meritò laudentur.

## CAPVT XLI.

**H**ONESTA quædam matrona de Colonia, diuitiis pollens, & ætate florens, cum post mariti mortem Christo nubere vellet, timore amicorum, à quibus eius desiderium impediabatur, habito consilio domini Caroli Abbatis Vilariensis, cappam Conuersi induit, sicque per illum de ciuitate educta, in monte sanctæ Walburgis monialis est effecta. APOLLONIVS: De conuersione viduarum seu maritarum, quæ de fece sæculi gustauerunt, non multum miror; virginum verò contra parentum voluntatem se conuertentium constantiam satis admiror. CÆSARIVS: Quasdam ex his pro exemplo tibi ponam.

## CAPVT XLII.

*Virgines  
contra  
parentum  
voluntatē  
conuersæ.*

**D**OMINA Methildis, magistra hodie in Fusenich, cum haberet parentes ditissimos, & ad sæculi nuptias nutriretur, adhuc in ætate tenera constituta, se solo Christo velle desponsari, monialemque fieri, quotidie protestata est; cumque blanditiis siue minis nõ posset auerti, die quadam vestibus purpureis contra voluntatem induta, matri respondit: Etiam si feceritis me aureã, non poteritis mutare propositum meũ. Tandem tædio affecti parentes eius, cū eã locare vellent in prædicto monasterio sanctæ Walburgis, nec esse posset, eo quòd completus fuisset statutus numerus sororum, in Fusenich conuersa est, vbi adeò profecit, vt non multo pòst, licet adhuc adolescentula, magistra efficeretur. Quã post annos paucos Aleidis soror eius carnalis marito viduata, & ipsa adhuc adolescentula, secuta in eodẽ loco facta est Priorissa; quarũ exẽplo quædam earũ cognata timore parentum de diocesi Traiectensi in habitu viri egressa, apud sanctum Thomam, quæ est domus ordinis nostri, in episcopatu Treuerensi posita, se conuertit. Hanc cum soror imitari vellet, à parentibus capta est, & viro tradita.



dicta. Spero autem quòd Deus tam feruentem conuer-  
sionis voluntatem non relinquat irre muneratam.

## CAPVT XLIII.

**L**AVDABILEM, imò satis mirabilē, domine Helf-  
vuidis Abbatissæ de Porceto conuerfionem  
tibi replicabo. Hæc cum esset Arnoldi Sculteri  
Aquensis, viri potentis diuitisque, filia, sic ab eunte  
ætate feruebat zelo conuerfionis, vt matri frequenter  
diceret: Mater fac me monialē. Solita enim erat cum  
matre ascendere montem sancti Saluatoris, in quo  
tunc manebat conuentus sororum de Porceto. Die  
quadam per fenestram coquine latenter intrans, dor-  
mitorium ascendit, & puellæ cuiusdam cucullam in-  
duens, cum cæteris chorum intrauit; quod cum matri  
abire volenti per Abbatissam innotuisset, illa putans  
iocum esse respōdit, vocate puerum, oportet nos ire.  
Venit illa intrinsecus ad fenestram dicens, monialis  
sum, non ibo tecum. Mater verò timens maritum, re-  
spondit, modò tantum venias mecum, & ego patrem  
ruium rogabo, vt te faciat monialem: sicque exiuit.  
Matre verò tacente, contigit vt iterum montem ascē-  
deret, filia dormiente, quæ cum surrexisset, matre in  
ecclesia quæsitâ, & non inuenta, in monte eam esse  
suspiciens, secuta est sola, & per prædictam fenestram  
ingressa, rursus habitum induit, matrique roganti vt  
exiret respondit: Amodò me non decipies, verba sibi  
promissa replicans. Matre verò multo timore recedē-  
te, pater cum fratribus furibundus ascendit, fores ef-  
fregit, filiam vociferantem eduxit; cognatis, qui eam  
auerterent, commisit; quibus illa, nondum, vt puto,  
nouem annorum, tam sapienter respōdit, vt miraren-  
tur, quid plura? Episcopo Leodiensi patrem, & eos à  
quibus educta fuerat excommunicante, loco restitu-  
ta est, & post annos paucos ibidem in Abbatissam ele-  
cta. Hæc de conuerfione dicta sint: multa huiusmodi  
Christus in suis operatur electis, ad gloriam sui nomi-  
nis, cui cum patre & spiritu sancto honor sit & impe-  
rium per infinita secula seculorum. Amen.

LIBRI PRIMI FINIS.

CAPI-